



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

5. De denuntiatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

petente, aliàs non valet; & in casibus à Jure permissis, prout de Jure Canonico contra usurarium permittitur in *c. Cum in alicubi* 15. *inf. de usuria*, Maranta *d. loco n. 106.*

§. V.

De Denuntiatione.

1 2 3. *Denuntiatio alia Civilis, alia Evangelica, alia Canonica.*

4. *Denuntiatio Canonica ab accusatione in quibus differat.*

5. *Ea duplex est generalis & specialis.*

1. **D**enuntiatio est triplex, Civilis seu Judicialis, Evangelicà & Canonica. Civilis, quæ à Jure Civili introducta est; veluti quæ fit per ministros publicos (quos & stationarios ab officio vocant) ad hoc constitutos, ut delicta admittent denuntient Magistratibus, eorumque auctores prodant, quatenus in eos fiat inquisitio, *l. Ea quidem 7. juncta l. seq. & l. Singul. 14. Cod. de accusat. l. Divus 6. D. de custod. & exhib. reorum*: ad publicam scilicet vindictam; ideoque dicitur publica, ut distinguatur à privata, quæ fit ad privatum interesse & commodum: ut si filius vel servus opprimatur indebitè à patre vel domino, aut quilibet alius à potentiore, præsertim miserabilis persona, possunt tales hoc denuntiare in judicio, ut per Judicem releventur, Maranta *s. p. Tit. De denuntiatione*, quem vide, ut & Abbatem in *c. Novis. 13. col. 17. sup. de judiciis* Quod si minister publicus perperam aliquem derulerit, non tamen punietur propterea, nisi per injuriam detulisse deprehendatur, quia officii necessitas eum excusat à calumnia. Videatur Prosper Farinacius in *Criminal qu. 16. num. 15. cura seq.* Ad hanc autem denuntiationem non admittitur privatus, cum possit, si velit, accusationem instituere, *l. fin Cod. d. Tit. can. Quisquis 11. qu. 8.*

2. Denuntiatio Evangelica est, quæ ex lege Evangelica est introducta, *Matth. 18. & Luca 17.* In ea hic ordo servatur, ut delinquens primum corripitur privatum deinde, si correptioni non paruerit, iterum moneatur, adhibito uno vel duobus testibus, & dum demum, si contumax persistit, denuntietur Ecclesiæ, *c. Novis. 13. sup. de judiciis. c. Licet Helix. inf. de Simonia, can. Si peccaveris 11. qu. 1.* atque ita eam sem-

per præcedere debet bina monitio, etsiam in notoriis, nec procederet alias, Maranta *d. loco n. 5.* quem plenius vide, & Weymf. in *Analysi ad Qualiter 24. h. 2.*

3. Denuntiatio Canonica, de qua hic agimus, est alicujus criminis apud Judicem abique inscriptione legitimè facta delatio, potissimum ad emendationem rei. Colligitur *ex c. 2. 3. & alia hoc tit.* Ab ea, sicut & ab accusatione, repelluntur infames, inimici excommunicati, *c. Cum oporteat 19. & seq. hoc tit.* Et quemadmodum Monachus Abbatum suum delinquentem accusare, ita & denunciare potest, sumptibus ipsius Monasterii: siquidem prodita est hæc denuntiatio contra Ecclesiarum & Monasteriorum Prælatos, ut eorum excessus à subditis, Clericis vel Monachis, si monitionibus acquieverint, deferantur ad Superiorem suum, *d. c. 2. 3. & c. Cum dilectus 20. hoc tit. c. 3. inf. de calumniatoribus*, quia illorum interest bonum habere Prælatum, *argum. canon. Anaxiter VIII. quæst. 1.*

4. Convenit hæc denuntiatio cum accusatione, quod utraque fiat eodem iudice. Differt verò ab eadem; primò in modo instituendi: nam ad accusationem necessaria est inscriptio, non ad denuntiationem nec denuntians facit se partem, sicut accusator. Secundò sine, quia accusatio fit principaliter ad pœnam & vindictam publicam, ut scilicet delictum puniatur; denuntiatio verò fit ad emendationem & correctionem vitæ, atque ob eam causam non est opus inscriptione, sed amica & charitativa præmonitione: qua non obstante si in eodem perseveret crimine, tunc demum nuntari & detri Judici Ecclesiastico debet: aliàs à denuntiatione repellitur is, qui non præmonuit, *d. c. 2. hoc tit.* Et in hoc rursus distinguitur ab accusatione, quam fama publica præcedere debet; nec sufficit infamia ad condemnandum, nisi probeatur, *c. Inquisitione 27. §. fin. & c. Accedens 23. h. 1.* Quamquam hæc inducat infamato necessitatem purgationis, in qua si deficiat, puniatur, ut convictus, *soto Tit. de purgat. Canonica.*

3. Denuntiationem Canonica dividit Maranta in Specialem & Generalem: ut specialis sit, quæ per eum fit, cuius interest habere bonum Prælatum, vel administratorem, vel subditum, ut scilicet primò monitus bis, si sit incor-